

1530

*Veneri Joannem Sepusianum ad pacem cum Ferdinando ineundam hortantur.*

*Senatus mandata de Melitensibus piraticam exercitiis.*

Interea Suleimanus belli non minus laboribus, quam pacis artibus, & studiis intentus, modo bellum Pannonicum moli-ri, de Vienna invadenda consilia habere; modo de classe ex Hellesponto emittenda, marique a piratis purgando agere. At-que ut Byzantium imperii sui sedem, quantum fieri posset, florentissimum, & opulentissimum redderet, animo volutabat, ut aromata, & alia mercimonia, quæ ex India, atque omni-bus orientis oris Alexandriam, & ad alios imperii sui merca-tus convehantur, cuncta Byzantium importarentur: quo-circa omnium gentium negotiatoribus, ut a fericis, atque aro-matibus emendis abstinere, imperaverat, ingentemque ha-rum rerum vim, sexcentis aureis millibus in id impensis, suo ære coemerat. His rebus haud parum Veneti commoveban-tur, incrementa, quibus in dies validior gens Christiano no-mini infensa evaderet, suspecta multum habentes; aliorum Principum, ac regnorum casibus sterni ad reliquos acrius op-pugnandos iter intuentes, cum Turcis insitum esset, assidua bellorum agitatione imperii spiritum fovere, atque alere, quod torpore pacis dissolutum, ac languidum contabesceret. Itaque Senatus Joanni Sepusiano, Hungariæ Regi, suadebat, ut, con-cordiæ ratione aliqua cum Ferdinando Archiduce inita, innu-mera impendentia mala, ingentesque calamitates a Reipubli-cæ Christianæ cervicibus propelleret. Poloniæ Regem, qui antea id negotii susceperat, hortabatur, ut vehementius in pu-blicum commodum, auctorem se pacis præbendo, incumbe-ret. Eodem tempore, ut ab emittenda classe Regis animum averteret, enixe Senatus laborabat, Grito, qui summa apud eam gentem auctoritate pollebat, contendente: Venetos nihil prætermittere, quod ad exturbandos piratas spectaret; classem omni genere navium instructam habere; omnia percurrere ma-ria, ut tuto mercatores ultro, citroque commeari possent. Ac ne Turcæ, ut in sinum Adriaticum irrumperent, Melitensium excursiones prætenderent, Veneto præfecto injunctum est, ut Senatus nomine trierarchis Melitensibus significaret, ab Adria-tico sinu abstinere, neque iis navigiis damna inferrent, quæ Ionio, & Cretico mari navigarent, quod ea loca in Veneto-rum tutela essent: ni id facerent, Melitenses triremes exar-mari jussit. His consiliis diuturnam servare pacem Senatus,

mu-